I. T.

Proœmium.

Itam humanam non inſcite Fabulæ comparari quis neget? quam ille bene peregiſſe putabitur, qui tanquam exercitatus hiſtrio in extremo bene deſiit, impoſitaque ſcenæ clauſula rebus humanis valere dixit & plaudere. Nec aliam ob cauſam factum crediderim, quod Auguſtus Cæſar ſub finem vitæ ab amicis lectum circumſtantibus petierit, ut poſtquam exſpiraſſet, ſibi plauderent, quaſi probe ſibi conſcius, mimum vitæ à ſe commode transactum. Tantæ videlicet rerum vicisſitudines, tantæ ubique mutationes occurrunt, ut perinde ac in ludis ſcenicis dulcia miſceantur triſtibus, & triſtia lætis, æquabile tamen utrorumque temperamentum egregiè moderante Deo. Nec vero inſolens quid hominibus eſſe tam miram rerum varietatem deprehendimus, quandoquidem jucundam eam, imo ferme neceſſariam ſapientiores præſertim ſemper putarunt, vitam ſecuram & ſine ullis fortunæ incurſionibus mare mortuum vocitantes. Eleganter ſane *Seneca c.3.* de Prov. *Nihil*, inquit, *mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adverſi.* Uſque adeo tantum non neceſſarium putabant, cum adverſis quandoque luctari, variasque in maximo hoc mundi theatro ſuſtinere perſonas. Hoc tamen mirifice ipſos vellicabat, quod non ex æquo diſtributa munera, ſed optimis ſæpe peſſima, peſſimis contra optima evenire viderent; unde varii ad varias inæqualis